

unam eandemque animam, eamque rationalem, actu est et *corpus humanum*, et *animatum corpus*, et *corpus*, et *substantia*, et *ens*, ita ut haec graduum distinctio ac subordinatio non accipiatur per formas secundum essentiam differentes, sed solum secundum intelligibilem rationem. Tota haec doctrina manifeste sequitur ex proprio munere formae substantialis quod animae rationali asseruimus, suppositis quae de unitate animae ac formae substantialis in praecedenti parte late probavimus ac vindicavimus [37... 87...].

Dices. Quisque in se experitur continuam quasi luctam inter partem sensitivam et intellectivam. Atqui lucta eiusmodi non videtur posse existere, si una eademque esset anima sensitiva et intellectiva.

Respondeo. *Dist. mai.* Ob diversas et saepe oppositas boni maliue rationes quibus sensualitas, ac rationalis appetitus cidentur, *conc.*; ob diversa principia operativa, *subdist.*; si haec diversitas sit in principiis proximis tantum, seu facultatibus, *conc.*; si intelligatur etiam in ipso principio formali unde radicitus hae facultates dimanant, *neg.* Sub data *dist. neg. min.*

Tantum abest ut ex tali lucta discrimen inferatur animae sensitivae ab intellectiva, quin potius inde nova et luculenta confirmatio exurgit ad utriusque realem identitatem comprobendam. Si enim animae essent secundum essentiam diversae, nihil prohiberet, quominus appetitio unius animae, puta sensitivae, circa bonum sensile eaque efficax existeret, quin impediretur ab appetitione contraria et efficaci in bonum rationis alterius animae intellectivae. E converso, cum una eademque sit anima sensitiva et intellectiva, impossibile est, ut hae binae appetitiones contrariae et efficaces simul existant, sed necesse est, ut una ab altera reddatur inefficax: et ex hoc praecise oritur pugna illa quam experimur. Saepenumero enim bonum quod offertur sensui repugnat recto rationis dictamini. Cum vero appetitus sensilis, utpote facultas necessaria, moveri incipiat a tali obiecto, eo ipso repugnare incipit rationali tendentiae quae, si naturalis sui domini non obliviscatur, insurgentem motum refragare potest ac debet. * Non est inconveniens,

ait S. Thomas, aliquid idem existens secundum diversas vires vel partes moveri ad opposita. Et ideo, licet substantia animae humanae sit eadem sensitivae et intellectivae, tamen potest secundum diversas partes et vires moveri ad opposita, ut scilicet sensus moveatur ad ea quae sunt sibi propria, et ratio ad ea ad quae ordinatur. (Quolib. 11. q. 5. a. 5.)

Instabis. Operationum partis vegetativae conscientiam non habemus. Ergo non procedunt a principio intellectivo.

Respondeo. *Neg. consequentiam.* Obiectio proposita subaudit principium manifeste falsum, videlicet nihil intrinsecum esse animae intellectivae quod testimonio conscientiae non subiciatur. Atqui minime id verum est. Ipsam siquidem substantiam animae intellectivae conscientia non refert, nisi consequenter ad operationem intellectualem, quae in prima infantia nulla est, nec post usum rationis perpetuo semper exercetur. Ipsae etiam operationes sensiles conscientiam saepe elabuntur. Nihil mirum proinde, si id ipsum contingat quoad actus vegetativos, cum praesertim ad sapientiam Auctoris naturae maxime pertineat, ut talis vita nullo modo voluntati, sed provido solius naturae instinctui subiciatur: gravissima siquidem incommoda, quae quisque facile considerare potest, si aliter fieret, consequerentur.

Urgebis denuo. Saltem non apparet, quo pacto, salva animae spiritualitate, asseri queat principium intellectivum esse formam corporis, prout corpus est. Nequit enim esse principium formale corporis quod formaliter non est corporeum. Atqui principium intellectivum, utpote spiritus, est formaliter incorporeum.

Respondeo. *Neg. assumptum.* Ad probationem *neg. maiorem.* Aliud omnino significat esse formaliter aliquid, et esse principium formale *alicuius*. Primum non verificatur nisi de subiecto respectu attributi quod secundum propriam suae definitionis rationem de eo praedicatur. Et sic patet, nonnisi corpus formaliter esse et corpus et vegetativum et sensitivum: nec certe possunt haec tria praedicata *praedicatione formali* animae intellectivae attribui,

quae propterea formaliter non est nisi intellectiva. E converso, esse principium formale alicuius dicitur de quacumque causa formali respectu illius quod ex eius conjunctione cum materia resultat in composito. Quare quod est eiusmodi, virtute tantum continere debet illud cuius dicitur formale principium seu causa. Hoc modo anima rationalis, tametsi sit formaliter intellectiva, nec nisi intellectiva, virtute continet gradum vitae sensitivae ceterosque gradus formarum inferiorum. Nec propterea forma confunditur cum causa efficiente. Nam virtute continere est continere per modum principii actuosi, quod sic dicitur per oppositionem ad continentiam potentialem causae materialis, quam suo loco declaravimus [154, 155]. Id porro commune est causae tum formali tum efficienti, diversa licet ratione. Ut enim in Philosophia Prima probavimus [650], causa efficiens actione influit in suum effectum, cuius propterea ipsa non est pars constitutiva: causa vero formalis per immediatam communicationem suae actualitatis in materiae potentiam, ac proinde est pars intrinsecus constitutiva effectus cuius dicitur causa. Egregie in hanc rem Suarez. * Ex quo etiam intelligitur, quomodo anima rationalis, licet sit incorporea, possit esse forma corporeitatis. Nam esse actum, seu formam corporeitatis, non est esse ipsam corpoream seu extensam, sed est esse formam constituentem cum materia unam substantiam compositam capacem quantitatis. Unde, ut supra Disp. 13. n. 21. dicebam, idem omnino est esse formam corporeitatis quod esse formam substantialem materiae: quia ex hoc praedicte quod sit actus substantialis materiae constituitur ex utraque substantia integra, materialis, et corporea. Cum ergo rationalis anima, etiamsi sit indivisibilis, vera forma sit substantialis corporis, habet quidquid necessarium est ut sit forma corporeitatis. Ex quo etiam concludi potest, continere etiam sufficienter gradus intermedios, vegetativum scilicet et sensitivum, ita ut formaliter conferre possit composito, quia non potest conferre extremos gradus sine his mediis. (Metaph. D. 15. sect. 8. n. 27.)

222. Coroll. IV. — Anima rationalis unitur cor-

pore secundum suam substantiam immediate, non vero media aliqua actione ipsius in corpus. — Patet ex proprio conceptu cuiusque formae informantis [Pr. Ph. 650]. Speciatim vero hoc militat contra singularissimam plane et curiosam valde opinionem A. Rosmini docentis, animam rationalem corpori coniungi ope actus cuiusdam intellectualis percipientis sensationem perpetuam et fundamentalem qua anima sensitiva proprium corpus sentire dicitur. (Psicologia, vol. 1. lib. 2. c. 1, 2.) Quare, in hac opinione, considerata est duplex unio; altera sensitivae, altera vero animae rationalis cum corpore. Prior fit media sensatione quadam perenni et fundamentali de proprio corpore: posterior ope perceptionis seu conscientiae intellectualis de hac ipsa sensatione. Porro nemo non videt, quantum haec doctrina assertum formae conceptum evertat. Nam primo, nulla unio physica hic elucet, sed intentionalis dumtaxat; ea nimirum, quae intercedit inter subiectum percipiens et obiectum perceptum. Talis praeterea unio si daretur, non tam anima dicenda foret corporis forma, sed potius corpus forma animae: nam obiectum est forma specificans cognitionem, non cognitio est forma obiecti cogniti. Insuper, quod in hac opinione utcumque uniretur corpori, unione scilicet intentionali, ut diximus, non esset aliud nisi actus quidem sentiendi vel intelligendi, non vero ipsa substantia animae. Atqui id nedum Philosophiae, ut demonstratum est, sed veritati Catholicae plane repugnat, ut paulo inferius dicemus. Denique, praedicte sensus fundamentalis, eiusque perpetua intellectualis perceptio, quae in hac opinione supponuntur, sunt quid fictum omnino, et conscientiae cuiusque testimonium praeterlabuntur.

223. Coroll. V. — Anima rationalis et corpus humanum conveniunt in unum idemque esse, diversa tamen ratione. — Id quippe requiritur, ut inde habeatur substantia per se ac simpliciter una, quaeque sit commune principium unius eiusdemque operationis, non solum ex parte unius operati, sed etiam prout egreditur ab agente. Atqui talis est unitas formae substantialis cum materia,

et operationis quae inde efflorescit, sensitivae potissimum. Elsi autem in idem esse conveniant anima rationalis et corpus humanum, non eadem est ipsius habitu ad utrumque. Nam ad animam rationalem comparatum, ei convenit per se, et indefectibiliter: respectu vero corporis, ei congruit ratione animae a qua informatur, ac propterea quamdiu ab hac informatione non deficit. Totā haec doctrina, difficilis licet, vera est et ex praestitutis principiis [215] plane consequitur. Eam expresse tradit Angelicus Doctor. "Dicendum, ait, quod habet anima esse subsistens, in quantum esse suum non dependet a corpore, utpote supra materiam corporalem elevatum: et tamen ad huius esse communionem recipit corpus, ut sic sit unum esse animae et corporis, quod est esse hominis. Si autem secundum aliud esse uniretur sibi corpus, sequeretur quod esset unio accidentalis." (Qq. Disp. De spirit. creat., q. un. a. 11. ad 3.) Et alibi, proposita sibi obiectione, quod non videatur qui fieri possit, ut esse substantiae spiritualis materiae corporali communicetur, sic ait. "Hoc autem convenienter diceretur, si eodem modo illud esse materiae esset, sicut esse substantiae intellectualis. Non est autem ita: est enim materiae corporalis ut recipientis et subiecti ad aliquid aliud elevati: substantiae autem intellectualis, ut principii et secundum propriae naturae congruentiam." (2. Cont. Gent. c. 68.) Et alibi clarissime.

"Illud quod proprie corrumpitur, non est neque forma, neque materia, neque ipsum esse, sed compositum. Dicitur autem esse corporis corruptibile, in quantum corpus per corruptionem deficit ab illo esse quod erat sibi et animae commune, quod remanet in anima subsistente. Et pro tanto dicitur ex partibus consistens esse corporis, quia ex suis partibus corpus constituitur tale ut possit ab anima esse recipere." (Qq. Disp. De Anima, q. un. a. 1. ad 14.)

Ex hac doctrina patet, quid proprie intelligere oporteat, cum dicitur anima rationalis, secus ac ceterae formae substantiales, non totaliter a materia comprehendi, sed eius capacitatem excedere. Duplex nempe veritas hoc loquendi modo exprimitur: altera respicit ipsum esse animae,

altera eius virtutem operativam. Quantum ad primum, significatur esse animae intellectivae, tametsi communicatur materiae ut haec eo subsistat, minime tamen ipsius materiae transmutabilitati subiacet, quasi eius consortio indigeat ut permanere possit. Et hac ratione paulo ante diximus, alia et alia habitudine idem esse ad animam rationalem et ad materiam comparari: siquidem illi inseparabiliter, huic vero corruptibiliter congruit. Quantum ad alterum, quod ex priori consequitur, sensus est, non totam virtutem operativam animae rationalis communicari materiae corporali: virtus quippe intelligendi est plane immaterialis, et, ut loquitur Aristoteles, corpori *impermixta*.

Dices. Quae conveniunt in unum esse simpliciter, sub eodem genere contineri debent. Atqui corpus et spiritus genericè dividunt praedicamentum substantiae ac propterea sunt genera invicem opposita. Ergo impossibile est ut in unum esse simpliciter coeant.

Respondeo. *Dist. mai.* Si conveniant *hypostaticè* dumtaxat, non vero secundum speciei unitatem, *neg.*; si haec unitas speciei interveniat, *subdist.*; debent contineri sub eodem genere *reductive*, ut principia scilicet constitutiva eiusdem generis, *conc.*; debent contineri sub eodem genere *directe*, quasi diversae species quae genus dividant, *neg.* *Dist. min.* Et in hac divisione nomine spiritus intelligitur spiritus separatus, qui subsistit scilicet in natura completa, *conc.*; eo nomine comprehenditur spiritus etiam qui est forma corporis, ut est anima rationalis, *neg.* Et sub data dist. in minori *contradist. consequens*.

Ut patet ex his quae in Logica declarata sunt [82, 83, 372], quae sunt principia constitutiva speciei specialissimae, sunt etiam principia constitutiva *realiter* omnium generum intermediarum et ipsius supremi generis sub quo ea species collocatur; ad quod propterea reductive pertinent. Cum itaque anima intellectiva sit pars constitutiva speciei humanae, ad idem genus reductur sub quo humanitas ipsa ordinatur. Ut igitur corpus et anima sunt principia constitutiva unius essentiae simpliciter, sic etiam nihil prohibet uno eodemque esse actuentur.

Quare S. Thomas. "Quod autem obicitur, formam et materiam in eodem genere contineri, non sic verum est, quasi utrumque sit species unius generis, sed quia sunt principia eiusdem speciei. Sic igitur substantia intellectualis et corpus, quae seorsum existentia essent diversorum species, prout univertunt sunt unius generis sicut principia." (2. Cont. Gent. c. 68.) Addidimus autem in maiori, minime requiri eiusmodi convenientiam in genere eodem, ubi mera intercedat unio hypostatica, qualis est Verbi divini cum humana natura, nimirum ob ea quae diximus in Philosophia Prima [541].

224. *Coroll. VI.* — **Confirmatio generalis doctrinae de materia et forma.** — Intelligitur denique ex dictis, quam arte cohaereant invicem veritas de unione animae rationalis cum corpore, ac generalis doctrina de compositione substantiali naturae corporeae ex materia et forma. Hae profecto ita sunt alia ex alia nexae, ut una posita altera inferatur necesse sit. Quocirca Suarez, vir certe in iudicando gravissimus, et in loquendo modestissimus, haec dicere non dubitavit. "Est hoc dogma, (sc. de compositione corporum ex materia et forma substantiali), ita receptum in philosophia, ut sine magna ignorantia id negari non possit; estque ita consentaneum veritati fidei Christianae, ut eius certitudo non parum inde angeatur. Quare placet huius veritatis probationem a quodam principio fide certo, et lumine naturali evidente inchoare. Prima igitur ratio sit, nam homo constat forma substantiali ut intrinseca causa. Ergo et res omnes naturales. Antecedens probatur. Nam anima rationalis substantia est et non accidens, ut patet: quia per se manet separata a corpore, cum sit immortalis; est ergo per se subsistens et independentes a subiecto; non est ergo accidens sed substantia. Rursus illa anima est vera forma corporis, ut docet fides, et est etiam evidens lumine naturali. Non enim potest esse substantia assistens, aut extrinsece movens corpus; alias non vivificaret illud, neque ex praesentia et coniunctione eius essentialiter penderent opera vitae; nec denique esset ipse homo qui intelligeret, sed quaedam alia

substantia illi assistens... Hominis ergo compositio ex materia et forma substantiali ostendit, esse in rebus naturalibus quoddam subiectum substantiale, natura sua aptum ut informetur aliquo actu substantiali: ergo tale subiectum imperfectum et incompletum est in genere substantiae: petit ergo semper esse sub aliquo actu substantiali... Praeterea, ex eadem hominis compositione colligitur, aggregationem plurium facultatum vel formarum accidentalium in simplici subiecto substantiali non satis esse ad constitutionem rei naturalis..., sed praeterea requiritur forma quae veluti praesit omnibus illis facultatibus et accidentibus, et sit fons omnium actionum et naturalium motuum talis entis, et in qua tota illa varietas accidentium et potentiarum radiceem et quandam unitatem habeat. Ergo eadem ratione in aliis entibus naturalibus necessaria est aliqua forma substantialis distincta ab accidentibus, et intimior, ac perfectior illis. Tertio, eodem exemplo constat, generationem et corruptionem hominis substantialem non consistere in acquisitione vel amissione aliquorum accidentium, sed in unione vel disiunctione animae rationalis substantialiter informantis corpus humanum, ad quam praeparant accidentia quaedam, quibus sublati anima recedit et homo corrumpitur. Ergo eodem modo intelligendum est fieri corruptionem et generationem aliorum entium naturalium: nam quantum experientia colligi potest, idem modus est generationis et corruptionis in aliis rebus, qui est in homine, excepta differentia in perfectione et subsistentia formae humanae, quam ex modo generationis et corruptionis non colligeremus, nisi aliunde nobis nota esset; et propterea dicitur Eccl. 3. *Unus interitus est hominis et iumentorum...* (Metaph. D. 15. sect. 1. n. 5, 6, 7.) Confer egregium opus P. Matthaei Liberatore cui titulus, *Del Composto Umano*: ubi quae in hac et praecedenti sectione diximus, ex mente Angelici uberrime explicata invenies.

SECTIO IV.

Quae sit doctrina Ecclesiae Catholicae in praesenti quaestione.

225. **Ratio tractationis.** — Quoniam praesens controversia, de unione animae rationalis cum corpore, hac praesertim aetate multum fervet, et aliunde gravissimi momenti est ac difficillimae simul solutionis, opportunum existimavimus, paucis hic indicare, quae sit ea de re Ecclesiae Catholicae doctrina. Etsi vero hoc theologi dumtaxat numeris videri potest, non tamen omnino alienum est a praesenti disputatione. Doctrinam quippe tradimus, philosophicam quidem, at cum pluribus Ecclesiasticis definitionibus valde connexam. Philosophus autem Catholici, ne in sua inquisitione deficiat, prae oculis habere debet limites intra quos salva reverentia Apostolicis decretis debita spatium queat [*Pr. Ph.* 421, seqq.]. Hoc praeterea utile erit idcirco quod cuiusque sapientis partes sunt certa pro certis tradere, dubia seu probabilia pro dubiis seu probabilibus, antiqua pro antiquis, nova pro novis.

226. **Documenta ecclesiastica in praesenti quaestione.** — Imprimis igitur hic exscribimus Ecclesiasticas definitiones et declarationes quae huc usque prodierunt hae pertinentes.

I. Clemens V. in generali oecumenico Concilio Viennensi, post definitam humanae naturae integritatem in Christo Domino, haec addit. * Porro doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut veritatem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, veluti erroneam, ac veritati catholicae inimicam fidei, praedicto sacro approbante concilio, reprobamus: definientes, ut cunctis nota sit fidei sincera veritas ac praecudatur uni-

versis erroribus aditus, ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter praesumpserit, quod anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tamquam haereticus sit censendus. (Clement. de *Summa Trin. et Fide Cathol.*)

II. Eandem definitionem iteravit et confirmavit Leo X. in Lateranensi V. his verbis. * Hoc sacro approbante Concilio damnamus et reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse, aut unicam in cunctis hominibus, et haec in dubium vertentes: cum illa non solum vere, per se, et essentialiter humani corporis forma existat, sicut in canone felicitis recordationis Clementis Papae V. Praedecessoris Nostri, in generali Viennensi Concilio edito, continetur; verum et immortalis, et pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicabilis, et multiplicata, et multiplicanda sit. (Sess. 8. Can. *Apostolici regiminis.*)

III. Novissime Pius IX. idipsum declaravit, damnando opera Guntheri, his verbis. * Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine, qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se, atque immediata corporis forma. (Litt. ad *Archiep. Colon.* d. 15. iunii, 1857.) Etiam haberi debent prae oculis verba eiusdem Pii IX. quibus sic reprobat audaciam Baltzeri, qui non dubitavit notam haereseos inurere sententiae docenti, vitam etiam qua vegetatur corpus in homine, procedere ab anima rationali. * Notatum, ait, praeterea est, Baltzerum in illo suo libello, cum omnem controversiam ad hoc revocaret, sit ne corpori vitae principium proprium, ab anima rationali reipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam et appellaret haereticam, et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non possumus non vehementer improbare, considerantes, hanc sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesia esse

communissimam, atque doctoribus plerisque et probatissimis quidem maxime cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari. (*Litt. ad Episc. Wratislaviensem*, d. 30. Aprilis, 1860.) Ceterum quoad haec ultima verba notare oportet, Pium IX. affirmasse quidem, sententiam quam hic *communissimam* appellat, pluribus probatissimis doctoribus necessario nexu cum Ecclesiae dogmate *videri coniunctam*, non tamen his verbis eam definivisse: nempe redarguitur tantum Baltzeri audacia eam ut haereticam traducens.

Atque haec sunt Ecclesiae documenta quae in praesenti quaestione de unione animae rationalis cum corpore afferri possunt. Quo vero in legitimo sensu accipiantur, subiectis dubitationibus breviter satisfaciemus.

227. *Quaer. I. — Utrum tanquam fidei veritatem ab Ecclesia expresse definitam tenere oporteat, animam rationalem esse veram corporis formam.*

Respondeo *affirmative*. Patet id manifeste ex recitatis definitionibus, quae certe sunt fidei, cum oppositum damnetur a suprema Ecclesiae auctoritate ut haereticum. Et re quidem vera, in definitione Viennensi *substantia animae rationalis* se habet tanquam propositionis subiectum; *substantia humani corporis forma* se habet tanquam praedicatum propositionis, ad cuius plenior declarationem adduntur particulae illae, *vere, per se, et essentialiter*. Porro in ea definitione affirmatur *absolute* praedicatum de subiecto. Ergo absolute credendum est, substantiam animae intellectivae sic uniri humano corpori, ut sit eius forma vere, per se, et essentialiter.

Dices. Propositio illa Viennensis definitionis: *Anima intellectiva est corporis forma*, habet duplicem exponentem. Prior haec est: *Aligua anima est humani corporis forma*; altera vero haec: *Anima illa, quae est humani corporis forma, est anima intellectiva*. Quid autem velit, quominus dicatur mens Concilii fuisse dumtaxat definire hanc secundam propositionem; priorem vero ab eo subaudiri tantum ex communi sententia tunc temporis vigente?

Respondeo. Propositio Viennensis de qua loquimur, est simplex, non composita, ut in ipsa Logica animadvertimus [134]. Quare frustra ea resolvitur in plures exponentes, ut fit in propositionibus occulte compositis. Ceterum, etsi quis velit recitatam duplicem exponentem in definitione Viennensi expiscari, per me licet, modo meminerit, utramque exponentem in dicta definitione contineri *copulative*. Atqui affirmatio copulativa, ut ex dialectica notum est, formaliter continet affirmationem singularum partium quae copulantur. Sic, cum credimus, *Deum esse substantiam infinitae virtutis*, copulative credimus, et *aliquam substantiam esse infinitae virtutis*, et *Deum esse substantiam eiusmodi*. Idque manifestissime confirmatur ex particulis illis *vere, per se, et essentialiter*, quae a Concilio adhibentur ad magis determinandum sensum suae definitionis; inde enim perspicue elucet, mentem Concilii fuisse determinare *modum ipsum habitudinis* animae intellectivae ad corpus in constitutione hominis, non vero solummodo affirmare, animam intellectivam ad constitutionem humanae naturae utcumque pertinere. Et haec est communis interpretatio theologorum. Videantur Seraphinus a Porrecta (in *Summa th.* 1. p. q. 76. a. 1.); Antonius Ruvius (*De Anima*, lib. 2. c. 2. q. 7. n. 52.); Toletus (Proem. *De Anima*), ubi enumerat propositiones circa animam fide tenendas; item Suarez (*De Anima*, lib. 1. c. 12. n. 4. 6.); Valentia (in 1. p. D. 6. q. 2. p. 1.); Fonseca (*Metaph.*, lib. 1. c. 7. sub fin.); Silvester Maurus (*Opus theol.*, lib. 4. q. 226.); Estius (2. *Dist.* 17. § 7.); Sylvius (in 1. p. q. 76.) etc., qui omnes ne dubitationem quidem movent de hac veritate, quasi non agatur de dogmate fidei ab Ecclesia definit.

Instabis. Definitio Viennensis edita fuit contra Petrum Ioannem de Oliva. Huius autem error praecise non versabatur circa *habitudinem ipsam* animae rationalis ad corpus, sed circa *ipsam animam* quae habitudinem formae habet relate ad corpus humanum. Suscitavit quippe errorem Averrhois de unitate intellectus quem refellit S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 2.).

Respondeo. Quidquid sit de errore Petri Ioannis de

Oliva, de quo valde dubium est in quo praecise consideret, certum est ex ipso tenore Viennensis definitionis, Concilium non huic errori occurrere *tantum* voluisse, sed *omnibus* etiam qui in hac parte enasci possent. Constat hoc manifestissime ex verbis Concilii: *Ut nota sit fidei sincera veritas, et praeccludatur universis erroribus aditus ne subintrent*. Cum autem id optime fiat positiva sanctione veritatis, hinc Concilium absolute definivit, ut diximus, *substantiam animae intellectivae vere, per se, et essentialiter esse humani corporis formam*. Quisquis vero est in theologia vel mediocriter excultus, optime novit, saepe numero contingere, ut, occasione unius determinati erroris, definitio Ecclesiastica proferatur de veritate quae non solum huic errori, sed plurimis aliis etiam futuris sit contraria. Hinc Pius IX. ad definitionem Viennensem appellavit in damnatione Guntherianae doctrinae, quae profecto alia est ab errore Averrhois. Illud etiam minime praeteriri debet, errorem Averrhois qui dicitur instauratus a Petro Ioanne de Oliva, duplici quasi parte constare. Siquidem primo asserebat, principium intellectivum unicum esse in omnibus hominibus: consequenter inficiabatur, illud uniri corpori ut formam essentialem. Haec duo propterea ita sunt connexa, ut primum nequeat stare sine secundo, immo ex falsitate istius tanquam ex propria radice colligatur falsitas prioris. Hinc Doctor Angelicus (*Summa th. 1. p. q. 76.*), quasi prologum galeatum, fundamentalem doctrinam praemittit de unione principii intellectivi cum corpore per modum formae materiae vere et essentialiter informantis; et hoc in art. 1: inde vero in art. seq. colligit contra Averrhoem, tale principium multiplicari secundum multiplicationem corporum. Nihil mirum proinde, si uterque simul error definitione Viennensi feriat, quod distinctius adhuc praestitit Concilium Lateranense V.

228. *Quaer. II.* — Qui sensus, vi definitionum praedictarum, subici debet nomini formae quae tribuitur animae rationali respectu humani corporis.

Respondendo. In antecessum adverte, pro generali regula tenendum esse, verba definitionum ecclesiasticarum

sumi debere sensu *stricto* et *proprio*, eoque recepto tunc temporis cum definitio editur. Non enim Ecclesia suis dogmaticis decretis determinat mera vocabula sine mente, nec praeterea verborum proprietates relinqui potest, ne secus definitio quaecumque reddatur plane inutilis et supervacanea. Hoc posito, ita rem praesentem explicamus.

I. Dicitur itaque imprimis substantia animae intellectivae esse *forma vera* humani corporis, h. e. non per meram quandam metaphoram analogiam, quemadmodum ex. gr. dicuntur formae *verba sacramentalia*. Porro, quo tempore edita est definitio Viennensis, in eo conveniebant Doctores Catholici, cum animam intellectivam fatebantur esse veram corporis formam, quod illam conciperent, ut *substantiam partialem quae per sui esse communicationem materiam intrinsecus determinat in aliqua specie substantiae corporeae*. Dicitur *substantia*, quatenus scilicet distinguitur ab accidente, atque adeo inhaerentiam excludit propriam accidentis: *partialis* vero, pro eo quantum est vere pars in genere substantiae, ex cuius propterea unione cum alia comparte resultet aliquid vere unum in genere substantiae. Additur autem, *per sui esse communicationem materiam intrinsecus determinat*, quo nimirum significetur, materiam, seu primum subiectum mutationum quae in corporibus accidunt, ab anima intellectiva actuari, non mera quadam denominatione extrinseca, quemadmodum ex. gr. cognitio constituit obiectum in esse cogniti, sed per modum actus quo physice compleatur et perficiatur materiae capacitas seu potentialitas. Id denique praestari dicitur *in aliqua specie substantiae corporeae*: specie quidem, h. e. alicuius naturae completae; *substantiae*, non accidentis igitur dumtaxat, vel aggregati accidentalialis, sicut contingit in mera unione duorum agentium in aliquo effectu: *corporeae*, talis quippe compositio in hoc dumtaxat genere invenitur. Cf. Scotum (4. *Dist.* 11. q. 3., praesertim nn. 43, 54, 57.), ut historice constet, declaratam verae formae notionem etiam in schola Doctoris subtilis retentam fuisse, quidquid demum sit de consecratis inde profluentibus.

II. Definit praeterea Concilium Viennense, animae

intellectivae substantiam esse *per se* humani corporis formam, per oppositionem videlicet ad formam *per accidens*. Hac particula tres praecipue errores excluduntur. Primus est eorum, qui dixerunt animae intellectivae conaturale minime esse, ut corpori uniretur, sed hoc contingere in poenam admissi sceleris, ratione cuius in corpore includitur quasi in carcere. Secundus est error eorum qui dixerunt, animam rationalem uniri corpori non *secundum seipsam*, sed per aliquam operationem dumtaxat vel effectum ipsius, sicut motor unitur mobili. Quare Concilium expresse definit *substantiam ipsam* animae intellectivae vere et *per se* esse formam. Tertius denique error hac particula damnatus est, quo anima rationalis conceperetur esse forma, non ipsius corporis, sed tertii eiusdem intermedii, puta *animae ab ea distinctae* quae deinde munere formae fungeretur. Hoc postremum expresse declaratum habemus a Pio IX. in cit. Litt. ad Archiep. Colon. per vocem *immediata*: unde haec implicita est in particula *per se*.

III. Definitur denique, animam intellectivam esse corporis formam *essentialiter*. Porro hoc adverbium vel referri potest ad ipsam essentiam animae humanae, vel ad ipsam essentiam humani corporis. Si primum, implicite continetur in particula *per se*, camque declarat, ut patet ex iis quae paulo ante diximus. Si secundum, eo significatur, animam humanam pertinere ad ipsam essentiam humani corporis, adeoque esse constitutum *essentiale* humanae naturae seu substantiae; quare etiam sic iam implicite continetur in particula praecedenti *vere*. Quare Pius IX. appellans ad hanc definitionem Viennensem, contentus fuit iis verbis eam recitare, *hominem scilicet corpore et anima ita abso-
luti, ut anima, eaque rationalis, sit vera, per se, atque im-*
mediata corporis forma: quae propterea optime censi possunt tamquam ultima formula, quae sit plene expres-
siva doctrinae Ecclesiae in re praesenti.

Atque haec dicta sint de explicatione eorum quae *formaliter continentur* in recitatis definitionibus. An vero *legitima consecutione* inde colligatur vel existentia *primae*

materiae, prout haec intelligitur in doctrina Scholastica, praesertim D. Thomae, vel sententia eiusdem Aquinatis de *unitate formae substantialis* in eodem corpore, *comple-
res quidem* RATIONALI DISCURSU *id deducunt, sed minime dici
potest quasi ab Ecclesia definitum, nec oppositum censuram
aliquam theologiam meretur quamdiu Ecclesiae iudicio res
alterius determinata non fuerit*. Quare prudentiae limites excederet, ac temeritatis merito argueretur is qui in rebus eiusmodi propriam sententiam sic propugnaret, ut ceteros contra sentientes quasi violatae religionis vel sublestae fidei viros traderet (1).

(1) Huc spectat Epistola quam de mandato Pii IX. Reverendissimus D. n. Waldimirus Czacki, nunc S. R. Ecclesiae cardinalis, scripsit D. no Eduardo Hauteoer, Rectori catholicae Universitatis Insulensis, et quam invat hic integram exhibere una cum Epistola eiusdem Pii IX. ad Doctorem Travaglini.

Prior itaque Epistola sic habet.

* Illustrissime et Reverendissime Domine. — Redditae sunt Sanctis-
simo Domino Pio Noxo filialis obsequii litterae, quas ad eum dedit
unus ex Doctoribus in Universitate catholica Insulensi, animi anxie-
tatem significans qua afficitur circa quaestionem philosophicam de
compositione corporum, propter dissidium sententiarum, de quibus
non sane in ista vestra Universitate catholica, ubi egregios Profes-
sores non minus studio promovende scientiae cum religione con-
sertae, quam animorum consensione praestare gratulandum est, sed
alibi inter se contendunt duae dissitae scholae, licet utraque catho-
lica sit et Apostolicae Sedis magisterio obsequendum est, sed
aliorum dissensiones acceps et haerens praesentissima. Oh has itaque
Domino petebat, num existat aliqua quoad istas de natura cor-
porum opiniones ac sententias in alterutram partem Sanctae Sedis
declaratio, cum a nonnullis tam alia plura documenta ecclesiastica,
quam etiam Suae Sanctitatis Litterae die 23 Iulii 1874 datae in medium
producerentur, ac si ad istam inter Doctores catholicos controversiam
decidendam quidquam pertinerent. Hac igitur super re Beatissimus
Pater mihi demandavit, ut Tibi litteras conserberem non solum
ad tollenda dubia eruditi viri in Universitate catholica Insulensi, qui
eorum solutionem humillime expetebat, sed magis etiam ad eum
scopum, ut acriores aliis in locis exortae conversationes hac occa-
sione sopirentur. Vult enim ac optat Sanctissimus inter se discipulantes vires suas
catholici non de liberis opinionibus inter se discipulantes vires suas
distrahant, sed imo eas omnes communibus studiis, licet diversa forte

229. *Quaer. III.* — An, ex vi definitionis Vienne-
nensis, tenere oporteat, animam rationalem, qua ra-
tionalem, esse corporis formam?

Respondedo *affirmative*. Definivit enim, animam ra-

systemata sequantur, ad materialismi, ceterorumque nostrae aetatis
errores expugnationem convertant. Quare haec quae iussu Sanctis-
simi Domini Nostri sum dicturus, omnes quorum interest sibi com-
mendata habeant ac probe animis insita.

*1. Graviter abuti Litteris a Sanctitate Sua die 23 Iulii 1864 ad
Doctorem Travaglini datis, quibus opus ab eo susceptum commen-
datur, eos omnes qui exinde contendunt, Sanctitatem Suam voluisse
per eam commendationem improbare systemata quaedam philoso-
phica illi opposita, quod de materia prima et substantiali forma cor-
porum idem Doctor eiusque socii adoptarunt; siquidem haec alia
systemata, non secus atque illud, non modo pluribus catholicis doc-
tis viris probantur, sed etiam in hac ipsa Urbe principe catholici
orbis in praecipuis Athenaeis Pontificis usu recepta sunt.

*2. Ad systemata ista alia scholarum ethologicarum improbanda
merito proferre nequaquam posse Litteras a Summo Pontifice datas
ad Eminentissimum Card. Archiepiscopum Coloniensem, vel ad Re-
verendissimum Episcopum Vratislaviensem, aliave Ecclesiae decreta
et definitiones: ea namque documenta pertinent tantummodo ad doc-
endam unitatem substantialem humanae naturae, quae duabus constat
substantiis partialibus, corpore nempe et anima rationali, adeoque
haec eadem documenta spectant ad doctrinam theologiam; dum eae
controversiae, quae non ita prius resuscitatae sunt, et a viro eru-
dito in suis ad Summum Pontificem litteris commemorantur, doctrinas
mere philosophicas respiciant, super quibus catholicae scholae di-
versas sententias sequuntur ac sequi possunt: quoniam suprema Ec-
clesiae auctoritas nunquam pro altera iudicium tulit, quod alteram
excleret.

*Post haec quae dicta sunt facile quisque intelligit, quam neces-
sario postuletur, ut viri docti catholici in suis cum scriptoribus tum
disputationibus limites modestiae ac leges charitatis christianae soli-
cite servant, cum systemata examinant aut impugnant ab Apostolica
Sede nequitiam damnata, quaeque in conspectu ipsius Pontificis reti-
nentur atque usurpantur. Quam quidem in rem mentis oculis ob-
versari oporteret, quae Benedictus XIV. ipsis librorum censoribus
praescripsit in celebri Constitutione, ubi inter cetera sapientissime
statuta haec debet. — *Ecclesiae sanctae dogmata et communem Ca-
tholicorum doctrinam, quae Conciliorum generalium decretis, Roma-
norum Pontificum Constitutionibus, et orthodoxorum Patrum atque*

tionalem esse formam qua in propria specie constituitur,
non corpus quodcumque, sed *corpus humanum*: siquidem
de tali corpore, humano scilicet, manifeste sermo est in
tota illa definitione. Atqui corpus humanum constituitur

*Doctorem consensu continetur unice prae oculis habeant, hoc de cetero
cogitantes, non paucas esse opiniones, quae uni scholae, instituto, aut
nationi certo certiores videntur, et nihilominus sine ullo fidei aut re-
ligionis detrimento ab aliis catholicis viris reicuntur atque impu-
gnantur, oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica
Sede, quae unanquamque huiusmodi opinionem in suo probabilitatis
gradu relinquit.* — His quae voluntate ac iussu Sanctissimi Patris
tota epistola perscripsi, anxii interrogationibus eruditi viri, qui eas
proposuit et aliorum quoque dubiis plene satisfecit, ac praesertim
illud effectum esse confido, ut disceptationes non apud vos quidem,
ut dixi, sed inter alios quosdam subortae iustis finibus coëreantur,
nec quis amplius Pontificis actibus abutatur, nominatim vero Lit-
teris a Sanctitate Sua ad Doctorem Travaglini conscriptis, quibus,
ceu liquet, contra mentem et consilium scribentis perperam quidam
usi sunt. Pontificis demum perfunctus mandato hanc ego datam op-
portunitatem libenter amplector, ut sinceram existimationem meam
denuo tibi profitear, qua sum ex animo, Ill. ac Rev. Domine, addi-
tissimus famulus WALDMIRUS CZACHI, S. Congr. Negotiis Ecclesiasticis
Extraordinarius praepositus Secretarius. — ROMAE die 5 Iunii 1876.
Litterae vero Apostolicae ad Doctorem Travaglini quae in recitata
Epistola commemorantur, sic habent.

*Dilecto filio ALPH. TRAVAGLINI Doct. Medico Chirurgo, fundatori
Societatis philosophico-medicae, PIUS PP. IX. — Dilecte fili, salutem
et apostolicam benedictionem. — Dum praeterito mense marito, te Di-
lecte Fili, una cum sacerdote Ioanne-Maria Cornoldi e Societate lesu,
quo consiliario et adiutore potissimum usus fueras ad excitatam
societatem instituendam, alisque praestantibus viris eisdem additis
excepimus: gratulati tibi fuimus, quod scientiam medicam iamdu a
sanae philosophiae principiis aberrantem ad ea revocare decrevisses,
et per medicos praesertim, qui non mediocrem contulerant operam
suadendis vulgandisque materialismi erroribus, restitueret rectam de
rerum essentia et origine doctrinam, ac imprimis quoad hominem,
circa quem medicina versatur: scilicet ut inde haberetur medela,
unde malum magne ex parte manaverat. Gaudemus autem in prae-
sentiarum faustis omnibus Nostris eventum respondisse, et iam plus
centum e doctis Italis nomen dedisse natae nuper societati, eique
maiora quoque incrementa parari. Libentius etiam videmus vos,
proposito vestro fideles, eos tantum sodales vobis adsciscere consti-

in propria specie per animam rationalem, qua rationalem; quatenus enim ipsa sensitiva est vel vegetativa, corpus minime constituit in specie corporis humani, sed sub genere duntaxat corporis vegetabilis vel sensitivi. Praeterea, ut optime notavit Serafinus a Porrecta: " Si philosophorum verba formaliter sumenda sunt, multo magis utique Sacrorum Conciliorum dogmata formaliter intelligere quisque tenetur, et hoc pro universali regula tenendum est. Hoc autem eo verius est in proposito, quanto explicatius Papam locutum videmus, et vere, inquit, et perfecte, et per se, et essentialiter est humani corporis forma anima rationalis seu intellectiva. Quis nisi haereticus dicat tot tantis-

tuisse, qui teneant et propugnaturi sint doctrinas a sacris Conciliis et hac sancta Sede propositas, ac nominatim Angelici Doctoris principia de animae intellectivae unione cum corpore humano, deque substantiali forma et materia prima. Nec aliter certe reparari poterit inducta in religionem et scientiam a materialismo detrimenta, aut scientia ipsa ex errorum illius ambagibus extricari, et ad verum impelli progressum, nisi per veritatem. Quae sane cum a Deo procedat, sicut perspicue tutissimaeque traditur a theologia, sic a philosophia physicaeque disciplinis discordare nullatenus potest: quo fit, ut dum spectari tantum videtur inclinandis animis in obsequium fidei, scientiae simul soliditati, explicationi et proventui prospiciatur, et homo a materialismo cum brutis turpiter convolutus in coeno ad dignitatem relevetur filiorum Dei. Caveat igitur, ne quemquam inter vos admittatis e novarum opinionum sectatoribus, qui vano inflatus eruditionis apparatu sensum inter vos dissidia serat, mentesque abducit ab auctoritate magisterii Ecclesiae, in qua sola posita fuit a Christo Domino infallibilis veritatis Cathedra. Si in suscepto consilio perseveretis, si studiosae vitae falsorum fratrum fraudes, si omnes eodem illicti religionis amore, obsequio, studio veritatem assequi, illustrare et propagare nitamini, optime certe merebitis de Ecclesia, de scientia, de sacra et civili societate, consociationemque vestram brevi compitum sapientum accessione et honestorum omnium plausu commendatam videbitis. Haec Nos vobis adprecamur; et interim divini favoris auspicio et paternae Nostrae benevolentiae pignus tibi, Dilecte Fili, sodalibusque omnibus societatis philosophico-medicae S. Thomae Aquinatis Benedictionem Apostolicam peramanter Imperimus. — Datum Romae apud S. Petrum, die 23 Iulii anno 1874, Pontificatus Nostri anno vicesimono. — PIUS PP. IX.

que gravissimis verbis hic non importari sermonem formalem? Animam ergo rationalem, in quantum rationalem, esse formam veram, non aequivoceam corporis humani, hic definit Summus Pontifex. (In *Summam* th. 1. p. q. 76. a. 1.) His gemina adnotavit etiam doctissimus A. Ruvius ante laudatus, in suis egregiis commentariis in libros Aristotelis *De Anima*, Brixiae editis anno salutis 1626. " Anima rationalis, ait, non solum in quantum sensitiva et vegetativa, sed in quantum rationalis, est vera forma informans corpus, aut, quod idem est, secundum gradum rationalitatis vere informat ipsum. Hoc imprimis sequitur efficaciter ex verbis Clementinae citatis quibus decernitur, *animam rationalem per se atque essentialiter esse formam corporis*. Quod sic probo. Id quod convenit rei per se et essentialiter convenit ei in quantum talis est. Sed anima rationalis per se et essentialiter corpus informat. Ergo, in quantum rationalis, est vera forma informans corpus, et non solum ut vegetativa vel sensitiva, iuxta definitionem Ecclesiae. Ideo videtur mihi sine periculo erroris non posse omnino negari, quod anima rationalis, ut rationalis est, informet corpus, etiamsi dicatur informare ut vegetativa et sensitiva: quia si solum informaret secundum hos gradus inferiores, non esset verum quod anima rationalis informaret per se et essentialiter, sed solum materialiter et quasi per accidens, in quantum eadem entitas realis animae informantis, ut vegetativae et sensitivae, est rationalis. (Lib. 2. c. 2. q. 7. n. 59.) Neque obstat, quod anima minime informet corpus secundum viam ipsam seu potentiam aut actum intelligendi. Cum enim anima dicitur rationalis, hoc verbum, adiectivum licet, substantialiter ab omnibus accipitur; significat quippe differentiam ipsam specificam, qua substantia ipsa animae humanae in proprio gradu constituitur, et supra animam pure vegetativam et sensitivam evehitur. Porro ita si accipiat, dubium esse non potest, quin definitio Viennensis hoc modo consideret animam rationalem, quum eam esse veram corporis humani formam pronuntiat. Quod paucis et nitide ita complectitur Angelicus, *Licet anima sit forma corporis secundum essen-*

tiam animae intellectualis, non tamen secundum operationem intellectualem. (Qq. Disp. De Anima, a. 9. ad 11.)

230. *Quaer. IV.* — Utrum sit veritas ab Ecclesia definita, quae docet, animam rationalem esse corporis formam substantialem?

Respondeo. Profecto nondum est hactenus solenni aliquo iudicio ecclesiastico consecratus hic *dicendi modus*, quo scilicet appellatio *substantialis* additur voci *formae*. Attamen id quod praedicta formula significatur, si minus *formaliter*, ut theologi loquuntur, *virtute* saltem definitione Viennensi procul dubio continetur. Nam forma substantialis et accidentalis, quae sint proprie eiusmodi, conveniunt in ratione causae formalis intrinsecus et physice constitutis et specificantis compositum, quod est proprius et per se effectus utriusque [Pr. Ph. 648, 653]. Differunt vero, ut ipsa nomina manifeste significant, eo quod ex forma accidentali per se exurgit esse quoddam adventitium seu accidentale; dum contra forma substantialis dat esse vere et proprie substantiale. Age iam, Viennensis Synodus docuit, *substantiam* ipsam animae intellectivae esse *vere et per se humani corporis formam*. Quocirca id cui, ex vi huius doctrinae, propria ratio formae attribui debet, est *substantia*, terminus vero seu effectus (formalis) praedictae informationis est *esse corporis humani*. Porro manifestum est, nec etiam tuto in sana theologia negari potest, eiusmodi esse, *corporis scilicet humani*, non in genere accidentis, sed in genere substantiae contineri; siquidem id inficiari tantumdem valeret quantum si dicatur homo, ut homo est, substantia vere et proprie non esse. Doctores autem omnes id semper intellexerunt nomine formae substantialis, quae nimirum et *substantia sit, et substantiam sua informatione constituat*. Hinc in epistola Eminentissimi Czaeki quae ante exscriptimus, expresse assertur memoratis definitionibus ecclesiasticis doceri *UNITATEM SUBSTANTIALEM HUMANAE NATURAE, quae duobus constet substantiis partialibus, corpore nempe et anima rationali*. Quod vero nonnulli quasi divinando affirmarunt, idcirco a Concilio omissam fuisse hanc vocem, ne quis existimaret cum D. Thoma,

corpus nostrum, non solum in *esse corporis humani*, verum etiam in *esse corporis, ut sic*, constitui per informationem animae rationalis, nullius prorsus momenti est. Praedicta siquidem sententia Aquinatis, ut patet ex iis quae [91] disputata sunt, non in *voca* formae substantialis, sed in huius vocis *sensu*, ac maxime in ipso generali conceptu *unitatis substantialis* innititur. Quare quum ipse ex professo probat modum unionis animae intellectivae cum corpore (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 1.*), ab hac particula *substantialis* abstinere. Nimirum quia, ut diximus, quum evidens sit, et animam esse substantiam, et esse humanum substantialiter de corpore praedicari, eo ipso quod probetur, animam rationalem sua ipsa substantia ac per modum verae formae constituere esse humanum, eo ipso manet probatum, eam esse formam non qualemcumque, sed substantialem. Quare post cit. art., hoc postremum non ulterius probat, sed tamquam rem iam demonstratam assumit in articulis sequentibus.

Solvantur difficultates.

231. *Difficultas generalis.* — Quae theologiae in quaestione praesenti difficultatem facessunt, et ab adversariis magno et antiquo conatu exaggerantur, respiciunt, non confusum et apud omnes Doctores communem, sed distinctum et specialem formae substantialis intellectum quem ex mente Angelici in prima parte expressimus et vindicavimus [37, seqq.], quique a nonnullis dictus fuit minus esse cohaerens cum triplici Ecclesiae dogmate. Has porro obiectiones examinamus, non certe eo consilio ut sententiam Aquinatis hac in re quasi Catholicae Ecclesiae dogma venditemus, sed ut manifeste eluceat, nihil admodum in ea sententia inveniri posse, quod cum ecclesiasticis dogmatibus aptissime non cohaereat.

Obiectio I. — Iuxta Ecclesiae doctrinam a Tridentino confirmatam sess. 13. c. 3., in venerabili Eucharistiae

sacramento Corpus Christi Domini existit sub specie panis *ex vi sacramenti*, h. e. *ex vi verborum consecrationis*. Atqui, in sententia Aquinatis, anima pertinet intrinsecus ad essentiam corporis. Ergo sub specie panis existeret, vi sacramenti, seu verborum consecrationis, etiam anima. Hoc vero contradicit aperte eidem Tridentino cap. cit. asserenti, animam non vi verborum, sed *per concomitantiam duntaxat* sub speciebus panis adesse.

Ante responsionem, duo praenotasse iuverit. Quid significant recitatae formulae theologicae, h. e. *ex vi verborum* seu *sacramenti*, et *per concomitantiam*, explicatum habes apud Aquinatem, cuius doctrinam Conc. Trid. cit. cap. fere exscribit. "Sciendum, ait, quod aliquid Christi est in hoc Sacramento dupliciter. Uno modo quasi *ex vi sacramenti*; alio modo, *ex naturali concomitantia*. Ex vi quidem sacramenti est sub speciebus huius Sacramenti id in quod directe convertitur substantia panis, et vini praexistens, prout significatur per verba formae, quae sunt effectiva in hoc Sacramento, sicut et in ceteris mutationibus; puta, cum dicitur, *hoc est corpus meum*, vel *hic est sanguis meus*. Ex naturali autem concomitantia est in hoc Sacramento illud quod realiter est coniunctum ei in quod praedicta conversio terminatur. Si enim aliqua duo sunt realiter coniuncta, ubicunque est unum realiter, oportet et aliud esse: sola enim operatione mentis discernuntur quae realiter sunt coniuncta." (Summa th. 3. p. q. 76. a. 1.) Secundo notari debet, animam a Tridentino cit. cap. spectari secundum propriam et formalem animae rationem, ut scilicet est *corpori vitae principium*, quatenus per eam corpus constituitur in genere viventis. En verba Concilii. Semper haec fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, eorumque eius sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie, EX VI VERBORUM; ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, ANIMAMQUE sub utraque, VI NATURALIS illius connexionis et concomitantiae qua partes Christi Domini, QUI IAM EX MORTUIS

RESURREXIT NON AMPLIUS MORITURUS, inter se copulantur; divinitatem, etc.

His praehabitis, patet solutio ad propositam difficultatem. Quapropter *dist.* seu potius *explico maiorem*, iuxta doctrinam Ecclesiae.... corpus Christi Domini existit sub specie panis *vi verborum*, h. e. prout directe significatur a verbis, *hoc est corpus meum*, ac propterea cum *praecisione a gradu vitae quem habet ab anima, conc.*; prout existit realiter in natura rerum, ac proinde ut est vivum et Verbo hypostatice unitum, *neg. Dist. pariter minore*. Anima intrinsecus pertinet ad essentiam corporis Domini *physice et realiter consideratam, conc.*; consideratam prout significatur a verbis, *hoc est corpus meum, subdist.*; si anima consideretur secundum propriam et formalem ipsius rationem, videlicet prout est corpori vitae principium, *neg.*; si spectetur secundum generalem rationem formae dantis esse corporeum, *conc.* Sub data distinctione *dist. pariter consequens*. Ergo anima existit sub specie panis *ex vi verborum*, prout spectatur ut est vitae principium, *neg.*; secundum communem rationem formae dantis esse corporeum, *conc.* Apposite rursus Angelicus Doctor. "Dicendum quod anima est forma corporis dans ei totum ordinem esse perfecti, scilicet et esse corporeum, et esse animatum, et sic de aliis. Convertitur igitur forma panis in formam corporis Christi secundum quod dat esse corporeum, non autem secundum quod dat esse animatum tali anima." (Summa th. 3. p. q. 75. a. 6. ad 2.)

Obiectio II. — In triduo mortis Christi Domini, corpus idem iacuit in sepulchro quod fuit in Christo vivente. Atqui hoc minime verum est in sententia exposita, quippe alia forma substantiali fuisset informatum.

Respondeo. *Dist. maiorem*. In triduo... identitate eiusdem hypostasis, et materiae, *conc.*; fuit idem omnino et totaliter, *neg. Contradist. eodem modo minore*.

Explicationem et rationem recitatae distinctionis habes etiam apud Angelicum quum ex professo quaerit, *utrum fuerit idem numero corpus Christi viventis et mortui*. "Dicendum, ait, quod hoc quod dico simpliciter, potest accipi

dupliciter. Uno modo, secundum quod *simpliciter* idem est quod *absolute*, sicut simpliciter dicitur quod *nullo addito* dicitur, ut Philosophus dicit 2. Topic. fin. Et hoc modo corpus Christi mortuum et vivum simpliciter fuit idem numero. Dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est supposito idem: corpus autem Christi vivum et mortuum fuit supposito idem, quia non habuit aliam hypostasim vivum et mortuum, praeter hypostasim Verbi Dei.. Alio modo *simpliciter* idem est, quod *omnino vel totaliter*. Et sic corpus Christi mortuum et vivum non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem, cum *vita sit aliquid de essentia corporis viventis*: est enim praedicatum essentiale non accidentale; unde consequens est, quod corpus quod desinit esse vivum, non totaliter idem remaneat. (Summa th. 3. p. q. 50. a. 5.)

Instabis. Tradita solutio videtur contradicere communi fidelium sensui, quibus eiusdem substantiae videtur esse corpus Christi quod venerantur ut mortuum, cum eo quod venerantur ut vivum. Contradicit etiam effato a theologis communiter usurpato, *Quod Verbum assumpsit nunquam dimisit*: in hac enim hypotesi Verbum hypostatice fuisset unitum formae, quae supponitur in corpore Christi demortui loco animae, eamque in resurrectione eiusdem corporis perpetuo reliquisset.

Respondeo. *Neg. utrumque assertum*. Ad primum quod attinet, communis sensus omnium hominum, nedum fidelium, *essentiale* discrimen agnoscit inter corpus vivum et mortuum, et haec duo *plusquam specie* separat invicem. Concipere vero distincte, undenam eiusmodi discrimen procedat, et a fortiori illud explicare, minime pertinet ad communem sensum, sed studiosae et philosophicae analysis est. Ad alterum vero quod ab obiciente proponitur, qui sit legitimus sensus theologici pronuntiati quod in medium profertur, habes nitide explicatum apud Sylvestrum Mauro. " Verbum primo et principaliter assumpsit animam rationalem et alias partes, quae prout unitae cum anima spectant ad integritatem humanae naturae. Animam rationalem nunquam omnino dimisit; partes vero

materiae, et alias quae prout unitae cum anima spectabant ad humanam naturam, nunquam dimisit quamdiu manserunt unitae vel paulo post reuiniendae. Et quia materia corporis Christi, et sanguis effusus triduo mortis manserunt reuinienda animae, non fuerunt dimissa. Et quia forma cadaverica erat unita materiae paulo post reuiniendae cum anima, ideo etiam ipsa fuit unita Verbo divino. At, *sicut cum Christus per nutritionem acquirerebat novas partes materiae et antiquas amittebat, Verbum de nobis uniebatur partibus acquisitis, dimittebat vero partes deperditas quae amplius non spectabant ad humanam naturam*: sic cum materia Christi triduo mortis habuit formam cadavericam, Verbum fuit unitum formae cadavericae ratione materiae; cum in resurrectione materia dimisit formam cadavericam, Verbum etiam illam dimisit, utpote non amplius spectantem ad humanam naturam, vel ad materiam reuiniendam animae. (Og. Philos. lib. 3. q. 26. ad 5.)

Obiectio III. — Corpora demortua Sanctorum digna sunt veneratione, utpote reliquiae informatae quondam ab animabus ipsorum nunc in coelo regnantibus. Atqui, in sententia quam defendimus, id non esset verum; quippe sola materia eorumdem hanc dignitatem haberet.

Respondeo. *Conc. maiorem, neg. minorem*. Etsi materia dumtaxat huiusmodi reliquiarum quondam animata fuit, et in resurrectione rursus animabitur ab anima SS. in coelo regnantium, ipsae tamen, etiam ut nunc sunt, iure merito multo magis censentur spectare ad Sanctos quorum sunt reliquiae, quam sint vestes et alia huiusmodi quibus usi fuerunt, dum hanc vitam mortalem viverent. Porro haec est ratio quamobrem res eiusmodi dignae plane sunt ut venerationi habeantur. Quare Angelicus hanc ipsisimam difficultatem expendens: " Dicendum, ait, quod sicut Augustinus dicit in lib. 1. de Civitate Dei, c. 13., si paterna vestis, et annulus, ac si quid huiusmodi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes est maior affectus, nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarior, atque coniunctius, quam quaelibet indumenta gestamus: haec enim ad ipsam naturam hominis pertinent.

Ex quo patet, quod qui habet affectum ad aliquid, etiam ea quae de ipso post mortem relinquuntur, veneratur, non solum corpus aut partes corporis eius, sed etiam aliqua exteriora, puta vestes et similia. Manifestum est autem, quod Sanctos Dei in veneratione habere debemus, tamquam membra Christi, Dei filios et amicos, et nostros intercessores. Et ideo eorum reliquias qualescumque honore congruo venerari debemus, et praecipue eorum corpora, quae fuerunt templa et organa Spiritus Sancti in eis inhabitantis et operantis, et sunt corpori Christi configuranda per gloriosam resurrectionem. Unde et ipse Deus huiusmodi reliquias convenienter honorat, in eorum praesentia miracula faciendo. » (*Summa th.* 3. p. q. 25. a. 6.)

Ex his omnibus patet, inconsiderate admodum et temere, doctrinam Aquinatis quam propugnamus, a nonnullis traductam fuisse quasi alienam a mente Ecclesiae. Sed de hac re satis superque.

SECTIO V.

De sede animae rationalis eiusque multiplicatione.

232. **Erroris refellendi.** — Ex his quae stabilita sunt de modo unionis animae rationalis cum corpore, facili negotio resolvitur potest duplex alia quaestio quam huius sectionis titulus exhibet. Est autem quaestio ea de re agendum ob eius gravitatem et ob multitudinem errorum qui propterea enati fuerunt.

Fuit itaque vetustissimus error multis modis propositus, quo determinata corporis pars animae rationali tribueretur, ut inde ad ceteras corporis partes motus *effectivo* quodam duntaxat influxu dimanaret. Huius generis diversissimas opiniones ita Plutarchus enarrat. " Inesse hanc (animam) aiunt Plato et Democritus in toto capite: Strato

in superciliis intercapedine. Erasistratus circa membranam cerebri, quam epicranidia nominat. Hierophilus in cavo seu fundo cerebri. Parmenides in toto pectore. Epicurus et Stoici in universo corde aut cordis spiritu. Diogenes in arteriosa cordis cavea. Empedocles in sanguinis substantia. Alii in collo cordis. Alii in membrana cor ambiente. Alii in septo transverso. Nonnulli recentiorum eo usque a capite pertingere. Pythagoras vitalem animae partem circa cor, rationem et mentem circa caput. » (*De Placitis Philos.*, lib. 4. c. 5.) Scholastici Doctores doctrinam Ecclesiae Patrum secuti, cum munus verae formae substantialis animae rationali adjudicassent respectu totius humani corporis, consequenter mirabili consensu docuerunt, eam toti corpori substantialiter adesse. Redintegrato autem post Cartesii tempora veteri errore de unionis animae cum corpore, *per modum motoris cum mobili*, iterum resuscitatae fuerunt diversae opiniones recitatae de animae sede. Ex mente Cartesii ea residet in glandula pineali quae cerebri medietatem occupat. Alii alias cerebri partes assignarunt: nec defuerunt qui totum cerebrum pro sede ei elargirentur.

Ad alteram vero quaestionem quod spectat, de animae scilicet multiplicatione, notum est commentum Averrhois et Pythagorae. Ille unicum duntaxat intellectum agnovit in omnibus hominibus, qui cum singulis per phantasmata continuaretur, ac pro diversitate phantasmatum cuiusque diversimode operaretur, ea ferme ratione qua idem ventus pro varietate fistularum organi musici multiplicem edit harmoniam. Ex hoc proinde philosophandi modo, anima sensitiva cuiusque hominis alia est secundum substantiam a principio intellectivo. Pythagoras vero, ac generatim, ut observat S. Thomas (*Qq. Disp. Pot.* q. 3. a. 10.), quicumque posuerunt animam creari extra corpora, eique propterea unionem cum corpore connaturalem minime esse, consequenter docuerunt etiam transmigrationem animarum de uno corpore in aliud, ut sic anima unum corpus quasi exuens ut vestimentum, alterum indueretur. Istiusmodi transanimationem seu transcorporationem

graeci *metempsychosim* dixerunt: nec desunt haec nostra etiam aetate qui tam putido errori adstipulari minime erubescant.

THESIS IV.

Anima rationalis toti humano corpori adest, quoad essentiam, adeoque tota est in toto et tota in qualibet eius parte; quoad virtutem vero, in ea corporis parte residet quae est proportionata ad talis virtutis operationem.

233. *Probatio I. partis.* — Humanum corpus vocamus in praesenti, prout constat iis partibus quae ad eius integritatem reipsa et intrinsecus pertinent, cuiusmodi sunt illae quae per se primo tum animalis tum vegetalis vitae functiones exercent. Non comprehendimus proinde pilos et ungues, quae potius haberi debent quasi vegetalia quaedam parasita propria humanae cutis. Sanguis etiam non videtur animari, cum non sit pars proprie integralis humani corporis, sed proximum duntaxat alimentum. Cf. S. Thomam (*Summa th.* 3, p. q. 31, a. 5, ad 1.). Iam age, in toto humano corpore, sic intellecto, animam intellectivam sedem habere, hoc modo demonstratur.

I. Anima intellectiva ibi adest, ubi munus formae exercet. Atqui, ut demonstratum est, ea tale munus exercet relate ad corpus humanum: corpus vero humanum, utpote organicum, non una tantum parte integratur, sed iis omnibus quae vitam vivunt. Ergo anima rationalis toti eiusmodi corpori adesse dicenda est. Huius argumenti propositio videtur nota ex terminis. Forma enim, quae sit eiusmodi vere et physice, immediate unitur proprio receptivo, ut actus cum sua potentia. Atqui actus adesse debet potentiae quae eo actuatur. Idque maxime veritatem habet in forma substantiali respectu materiae; siquidem ipsum essendi

actum haec inde mutuatur. Ad rem Angelicus. "Si anima uniretur corpori solum ut motor, posset dici, quod non esset in qualibet parte corporis, sed in una tantum per quam alias moveret. Sed quia anima unitur corpori ut forma, necesse est quod sit in toto et in qualibet parte corporis. Non enim est forma corporis accidentaliter sed substantialiter; substantialis autem forma non solum est perfectio totius sed cuiuslibet partis." (*Summa th.* 1. p. q. 76. a. 8.)

II. Impossibile est, ut aliquid dicatur vivere, quin vitae operatio procedat active ab eius substantia. Atqui totum corpus humanum vere vivit, vita scilicet vel solum vegetativa, vel vegetativa simul et sensitiva. Ergo vitales operationes cuiusque partis humani corporis a quidditate substantiali huius partis active procedere debent. Atqui manifestum est, id veritatem habere non posse, si anima intellectiva eis non adesset; siquidem una eademque est cum principio vitae sensitivae et vegetativae. Confirmatur id luculentissimo conscientiae testimonio. Intime quippe unusquisque sibi conscius est, vitam sensilem per totum humanum corpus diffundi. Est autem manifeste absurdum, actum sentiendi ibi esse et exerceri, ubi non adest anima sentiens.

234. *Explicatio II. partis.* — Ex his facile intellectum est quod in altera propositionis parte addimus ad penitiorem explicationem modi quo anima intellectiva adesse dicitur toti humano corpori. Distinctione propterea opus est.

I. Si enim spectatur ipsa animae rationalis substantia seu essentia, cum ea sit simplex et inextensa, necesse est, secundum se tota adsit ubicunque adest. Cum itaque ex dictis non concludatur in una parte corporis sed omnibus substantialiter adsit, necesse est dicere, eam esse totam in toto et totam in qualibet corporis parte. Apposite Augustinus. "Anima, ait, non modo universae molis corporis sui, sed etiam unicuique particulae illius tota simul adest. Partis enim corporis passionem tota sentit, nec in toto tamen corpore. Cum enim quis dolet in pede, advertit oculus,

loquitur lingua, admoventur manus. Quod non fieret, nisi id quod animae in eis partibus est, et in pede sentiret; nec sentire quod ibi factum est, absens posset. Non enim nuntio aliquo credibile est fieri non sentiente quod nuntiat: quia pressio quae fit, non per continuationem molis currit, ut ceteras animi partes, quae alibi sunt, latere non sinat, sed illud tota sentit anima quod in particula fit pedis; et ibi tantum sentit ubi fit. Tota igitur singulis partibus adest quae tota simul sentit in singulis. (De Immort. Anim. c. 17.)

II. Quod si spectetur virtus agendi quae in essentia animae radicem habet, distinguere oportet. Est enim operatio quae corporis capacitatem omnino excedit, ut quae nec per corporeas qualitates exercetur, nec est actus organi corporalis. Eiusmodi sunt intelligere et velle. Virtus igitur seu facultas quae est proximum principium talis operationis, nulli parti corporis communicatur, utpote eius capacitatem excedens. Ceterae contra operationes omnes sunt organicae. Ex opposita proinde ratione, tum ipsae, tum virtus quae peraguntur, corpori insunt, diversae pro diversitate partium quae sunt proportionatae ad talis virtutis et operationis exercitium. Ad rem Angelicus. * Illud est subiectum operativae potentiae quod est potens operari: omne enim accedens denominat proprium subiectum. Idem autem est quod potest operari, et quod operatur. Unde oportet, quod eius sit potentia sicut subiecti, cuius est operatio, ut etiam Philosophus dicit in prime. lib. de Somno et Vigilia. Manifestum est autem ex supra dictis, quod quaedam operationes sunt animae quae exercentur sine organo corporali, ut intelligere et velle. Unde potentiae quae sunt harum operationum principia, sunt in anima sicut in subiecto. Quaedam vero operationes sunt animae quae exercentur per organa corporalia, sicut visio per oculum, auditus per aurem; et simile est de omnibus aliis operationibus nutritivae et sensitivae partis. Et ideo potentiae quae sunt talium operationum principia, sunt in coniuncto sicut in subiecto, et non in anima sola. (Summa th. I. p. q. 77. a. 5.)

THESIS V.

Excluso errore tum Averrhois de unitate intellectus, tum Pythagorae de transmigratione animarum, tenere oportet cum Ecclesia Catholica, animam intellectivam non esse unicam in cunctis hominibus, sed pro corporum quibus infunditur multitudine singulariter multiplicari.

235. *Probatio contra Averrhoem.* — Dupliciter id constat, prout spectatur nimirum vel ipse intellectus, vel natura humana.

I. Ut primum argumentum intelligatur, notari debet, semper ac datur aliquid principaliter agens, non posse multiplicari eius actionem nisi hoc triplici titulo. Primo, ex diversitate formarum quibus agit, quia idem agens secundum diversas formas producit diversas actiones: sicut, secundum diversas formas rerum respectu eiusdem oculi, sunt diversae visiones. Hoc modo multiplicatur intellectio in uno eodemque intellectu ob diversitatem specierum intelligibilium quae sunt de diversis obiectis. Secundo, ex diversitate instrumentorum quibus idem agens utitur: sicut si unus homo tangat duabus manibus, erit unum tangens et duo tactus. Palet autem, non posse rem eiusmodi existere respectu unius intellectus: eius quippe operatio non exercetur mediante aliquo organo vel instrumento, sed ipsi intellectui est perfecte et omnino intranea. Tertio denique, ob temporis seu durationis discontinuitatem; sicut si unius eiusdemque intellectus operatio interrumpatur et post aliquam moram iterum exerceatur, erunt certe duae intellectiones, etiam unius intellectus et de eodem obiecto. Hoc posito en evidens argumentum saepe ab Angelico instauratum contra Averrhoem, cuius summa haec est. Certum est, qualitercumque intellectus

uniatur huic vel illi homini, eum inter cetera quae ad hominem pertinent, principalitatem habere; intellectui siquidem obediunt vires sensitivae, eique deserviant. Si itaque verum sit, non dari nisi unicum intellectum in omnibus hominibus, non poterunt nostrae intellectiones multiplicari, nisi vel quia sunt de objectis diversis, et sic per diversas formas intelligibiles, vel ob temporis discontinuitatem: alter quippe modus multiplicationis, per diversitatem scilicet organorum corporalium, repugnat spiritualitati intellectus, maxime si ponatur a corpore separatus, sicut fingitur in hac opinione. Atqui est undequaque manifestum, multiplicari intellectiones in hominibus etiam de eodem ipsissimo objecto, et sine ulla temporis discontinuitate, ut patet ex diversitate et contrarietate iudiciorum; unde tritum illud, *quot capita, tot sententiae*. Ergo falso omnino fingitur, unum eundemque intellectum existere in omnibus hominibus. Sic fere Angelicus (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 2., Qq. Disp. De Anima, q. un. a. 3.*).

II. Ex his quae in praecedentibus disputata sunt, duae veritates sunt certae omnino. Altera, in unoquoque homine unum idemque esse principium sentiendi et intelligendi, et hoc manifeste conscientiae testimonio cuique constat, quippe unusquisque sentit et intelligit se sentire. Altera, cum praecedenti arcto nexu conserta, principium intellectivum spectare intrinsecus ad ipsam essentialem constitutionem humanae naturae, ut formam veram et substantialem. Atqui neutrum istorum veritatem habere potest in opinione Averhois. Non primum, quia sic quemadmodum esset unum principium intellectivum in cunctis hominibus, sic etiam unum etiam in eis existeret principium sensitivum: quod patet esse risibile et impossibile. Non alterum. Nam una forma substantialis nequit haberi ut principium nisi unum esse, quod scilicet eiusmodi sit primo et simpliciter. Si itaque principium intellectivum est unum, unico etiam esse substantiali constarent omnes homines, atque adeo non amplius essent homines, sed homo; quod rursus risibile omnino est et impossibile. Nec vis huius postremae argumentationis eliditur fingendo distinctionem animae

sensitivae a principio intelligendi. Ut enim nervose arguit S. Thomas: "Propria operatio cuiuslibet rei consequitur et demonstrat speciem ipsius. Sicut autem animalis propria operatio est sentire, ita hominis propria operatio est intelligere... Si igitur hic homo habet aliam animam sensitivam cum alio homine, non autem alium intellectum possibilem, sed unum et eundem, sequitur quod sint duo animalia, sed non duo homines: quod patet esse impossibile." (2. *Cont. Gent. c. 73*).

236. **Probatio contra Pythagoram.** — In hoc errore duo continentur vel contineri possunt. Primo, transmutatio animae intellectivae ex uno in aliud corpus humanum. Secundo, transmutatio ex corpore humano in corpus alicuius belluae. Duplex itaque argumentum.

I. Primo quidem haec transcorporatio generatim si consideretur, etiam intra eandem speciem humanae naturae, repugnat veritati constabilitate de naturali unione animae intellectivae cum corpore. Si enim naturale est animae rationali corpori uniri, nequit profecto haec unio per se cedere in eiusdem animae nocumentum. Atqui contrarium plane accideret ex mente Pythagorae; anima quippe in uno corpore sapiens, in aliud transmigrans evaderet insipiens, siquidem omnia obliviscitur. Quod "si dicatur, ait Sylvester Mauro, id animam pati in poemum peccati, contra est: quia non est poena proportionata peccati, quod quis ponatur in statu, in quo obliviscatur se peccasse, adeoque non posset dolere de peccato, nec illud detestari. Sed per hoc quod anima uniatur corpori, obliviscitur omnium quae gessit ante corpus, adeoque etiam peccatorum." (*Qq. Philos. to. 4. q. 3.*)

II. Alterum vero, de animae scilicet rationalis transcorporatione in bruta animalia, sic egregie refutavit iam Aristoteles. Illi dicere solummodo, quale quid sit anima, emittuntur, de corpore vero quod eam recipere debet, nihil amplius determinat, perinde quasi fieri possit, ut quavis anima sine ullo discrimine quodvis corpus subeat, ut Pythagoricorum fabulae dicunt. Unumquodque enim proprium speciem habere formamque videtur. Perinde igitur dicunt